


raphys. cap. 2. in fine. Dico, hoc esse principium indubitatum, & cum natura infiniti hæc sit, ut nullos unquam admittat terminos, non posse percurri aut comprehendi id, quod est magnitudine aut numero actu infinitum, neque ab intellectu increato, id est, neque à DEo, neque à creato, id est, ab Angelis & Hominibus. Implicat enim contradictionem, esse infinitum & comprehendi, quia comprehensio infert fines. Nec refert (ita pergit post Thesin aduersus Antithesin,) quod DEi virtutem (Fonseca & Svarez ad hoc caput,) infinitam dicant. Nam quod simpliciter est incomprehensibile, neque ab infinita virtute est comprehensibile secundum se totum, ita ut aliquando comprehensum dicatur, nihil que ejus restet comprehendendum. Deinde falsum etiam est, virtutem DEi esse infinitam, cum necessario foret in materia, ut ostenditur IIX. Metaphys. t. 46. Nugas igitur (sic tandem hanc de infinito quæstionem finit,) vendunt. Quam censuram utinam illi retorquere non possent! Virtus enim DEi omninò infinita est, eique repugnat materia: tantum ab est, ut ad eam requiratur. Nec contra infiniti naturam est, comprehendi ab infinito, sed tantum à finitò. Modus enim cognoscendi (non tantum objectivè sed & subjectivè,) sequitur modum essendi. Non tamen respondere curabimus (quod de se dicit Cartesius part. I. princip. p. 8. n. 26. utinam candidè; vid. supr. à Tb. 17.) qui querunt, an si daretur linea infinita, ejus mediapars etiam esset infinita? Vel an numerus infinitus sit par an vè impar? Et talia; quia de iis nulli videntur debere cogitare, nisi qui mentem suam infinitam esse arbitrantur. Sufficiat, DEo suam constare in omnibus infinitatem; cui etiam proinde sit

Laus, Honor atque Gloria in infinita
Secula!

F I N I S.



Coll. diss. A. 2, misc. 20